

DISPUTATIO QUARTA.

De Conciliis.

P R E L E C T I O I.

Ad quem Conciliorum Generalium convocatio spectet, queritur.

Redimus e longo diverticulo, in quod nos suscepta dudum de Ecclesia Catholica Notis, Tractatio deduxerat. In pristina itaque viam reverſi de altera fidei Regula viventi, ut ajunt, atque spiranti disputabimus: De Concilio scilicet, cujus potissimum munus est, obortas fidei Controversias desipere atque decidere.

Qua de re, ut debita methodo dicamus, illud omnium primo studiosam Juventutem imonere juvat; Concilium nomine nihil aliud intelligi, nisi congregationem seu conventum Ecclesie Prælatorum sub uno legitimo Capite, ad controversias fidei dirimendas, legesque condendas, componendis fidelium moribus opportunas.

Quoniam vero quadruplicis generis congregationes seu conventus Prælatorum fieri possunt, ita quadruplicis generis Concilia distinguuntur: Alia quippe sunt Œcumenica, seu generalia, alia Nationalia, alia Provincialia, alia Diœcesana.

De Generalibus Conciliis nobis nunc est potissima disputatio, de quibus quinque duntaxat investigabimus. 1. Ad quem Conciliorum Generalium convocatio spectet? 2. Quinam ad ea sint advocandi. 3. Cujus sit iisdem Conciliis præsidere? 4. Quamnam in Ecclesia auctoritatem obtineant? 5. Sint ne Ecclesie necessaria?

In primo, quod modo suscepimus capite eventulando, cum nostræ hujus ætatis heterodoxis res nobis est. Contentundum enim hi, generalium Conciliorum advocacionem ad Imperatores pertinere. Quod ut afferant, nituntur maxime octo priorum Conciliorum Generalium exemplo, quæ ab ipsis Imperatoribus convocata fuisse contendunt. Nempe Nicænum I. a Constantino Magno; Constantinopolitanum I. a Theodosio Seniore; Ephesum a Theodosio Juniore; Calcedonenſe a Marciano; Constantinopolitanum II. a Justiniano; Constantinopolitanum III. a Constantino Pogonato; Nicænum II. ab altero Constantino & Irene; Constantinopolitanum IV. a Basilio.

Quare ut istorum trias atque cavillationes refellamus; hoc primum omnium dicemus, quod tamen utroque Calvinianis concederemus, octo priora Concilia Generalia ab Imperatoribus fuisse convocata; ea tamen prioris ætatis exempla Romanorum Pontificum juri nequaquam obesse ex juris regula generali.

Quemadmodum enim factio jus non acquiritur, ita contrario facto jus non amittitur: maxime si quæ forte peculiare rationes intercesserint, quæ factum contrarium, necessarium quodammodo fecerint.

Porro a quarto Ecclesie seculo, quo Concilium primum Œcumenicum habitum est, ad octavum usque, quo Concilium octavum celebratum fuit, variæ peculiare rationes fuere, quæ Conciliorum generalium convocacionem ab Imperatoribus fieri postulabant. 1. Quod per antiquas Imperatorum leges, publici cætus fieri non possent absque Imperatorum licentia. 2. Quod tota ferme Ecclesia intra unius Imperatoris ditionem

continetur, 3. Quod Romani Pontifices nondum opibus aucti, Conciliorum celebrandorum expensas conferre non possent; nec possent Episcopi are minuti, nisi alienis prædiis itinera longa suscipere. 4. Quod Ecclesia nondum tunc viribus aucta, hæreses tunc grassantes frenare, & cohibere non possent absque præsidio Imperatorum. Idcirco convocantur titulo protectionis, ita postulate temporum conditione.

Accedit ad hæc: Non posse Romanorum Pontificum juri in convocandis Conciliis generalibus derogare contraria illa priorum Conciliorum exempla, si liqueat aliunde, Imperatores ea duntaxat Concilia convocasse, rogantibus, optantibus, consulentibus Romanis Pontificibus: Sic enim Concilia convocasse censendi sunt Imperatores, non propria, sed delegata Pontificum auctoritate.

De Nicæna id aperitissimis verbis asserit Rufinus lib. 1. *Hist. Eccl. cap. 1.* ubi scribit eam ab Imperatore ex *sententia Sacerdotum* convocatam fuisse.

Patres Concilii Constantinopolitanum I. in Epistola Damaso, & cæteris Episcopis scripta: *Constantinopolim*, inquit, *convenimus, mandata litterarum superiore anno a vestra reverentia post Concilium Aquilejense ad Dei amatissimum Imperatorem Theodosium missarum.* Et paulo ante, ubi sermo fit de alia synodo, quam Roma convocaverat Damasus sub idem sermo tempus: *Concilio voluntate ac nutu Dei Romæ coacto, nos velut membra propria per Deo amatissimi Imperatoris litteras accessivissis.* Ex quibus verbis liquet, esse a Damaso Pontifice per Imperatoris litteras evocatos, Patres illos declarare.

Liquet hoc etiam ex Synodo VI. Œcumenica *Act. 18. in Sermon. proſphonico: Arius divisor atque pariter Trinitatis injurebat, & continuo Constantinus semper Augustus, & Silvester laudabilis, magnana atque insignem in Nicæa Synodum convocabant.*

De reliquo vero, id juris convocandorum scilicet Conciliorum generalium, ad Romanos Pontifices pertinere, ipsi quoque Imperatores agnovere. In Capitularibus enim Imperatorum lib. 6. cap. 287. ita legitur: *Auctoritas Ecclesiastica atque Canonica docet, non debere, absque sententia Romani Pontificis, Concilia celebrari.*

Evincit hoc idem priorum Conciliorum exemplum, quæ scilicet ab Ecclesie incunabulis celebrata sunt, ante Concilium Nicænum I. *Actum Apostolicorum cap. 6.* ubi de Diaconis eligendis, sic legitur: *Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum. Cap. 15.* ubi de dirimenda legalium controversia, ita habetur: *Convenere Apostoli & seniores videre de verbo hoc.* Nunquid ad Tiberium Cæsarem confugere?

Quod evincit etiam exemplum Conciliorum Generalium in Ecclesia Latina post octavum Ecclesie seculum celebratorum, ex quibus constat, convocacionem Generalium Conciliorum semper ad Summos Romanos Pontifices pertinuisse.

Eccur ergo, inquires, si id juris ad summos Pontifices pertinet, pro legitimis habentur priora Concilia, quæ Imperatorum auctoritate fuere convocata?

Responsio in promptu est. Ideo priora illa celebrata Concilia pro legitimis semper habita sunt: 1. Quia, ut in antecessum ostendi, ex R. R. Pontificum

tificum nutu & voluntate fuere convocata. 2. Quia Pontificum Romanorum, totiusque Ecclesie consensu fuerunt acceptata. 3. Tandem, quia ad ipsa Legatos suos miserunt Romani Pontifices.

Non omiserim tamen ad uberem agitata hujus controversie pertractacionem observare, nonnullos dari casus, in quibus R. R. Pontifices ab ea regula generali convocandi generalia Concilia excepiendi sunt.

Primo. Casus est Schismatis dubiorum Pontificum: dum neuter eorum in possessione reperitur: aut dum ille, qui in possessione est, generalem Synodum convocare detrectat. Tunc temporis jus convocandi Concilium pertinet ad Collegium Cardinalium.

Secundo. Si in hæresim Ecclesie notam Pontifex incidere.

Tertio. Si in patentissima necessitate obstinate Pontifex nolle Concilium indicere.

Si tamen inter Cardinales ipso schisma ortum esset, proinde generalem Synodum convocare & ipsi nollent: Tunc Regnum Catholicorum Præmatis, habita prius inter sese consultatione, subiectos sibi Episcopos in Concilium cogere possent.

Nova tamen hic oritur difficultas, quæ ut aliquos Theologos Catholicos Episcopalis auctoritatis male torquet, ita a nobis resoluti postulat; nimirum, qui sint ad Concilia præsertim Œcumenica vocandi cum jure suffragii. De qua prolixius disputare non est loci hujus & instituti; sed in sequentibus.

P R E L E C T I O II.

Qui sint ad Concilia præsertim Œcumenica vocandi cum jure suffragii?

DE vocandis ad Concilia Œcumenica cum jure & prerogativa suffragii, dum disputo, utraque manu, Aoni in morem, pugandum est mihi. Dexteram quidem adversus nonnullos Ecclesie Romanæ Professores, finitram vero contra plebrosque Lutheranae, & Calvinianæ Sectæ Ministros. Quamquam enim in id consentiat Catholici omnes, Episcopos suffragii jure potiri in Conciliis Œcumenicis, ubi de fide facienda questio vertitur; non desunt tamen in Catholicis etiam Schollis, Episcopalis auctoritatis depressores, & Pontificie dignitatis projecti adulatores, qui Episcopos suffragio duntaxat consultivo potiri velint, solos vero Romanos Pontifices re ipsa in Conciliis pronunciare ac definire, contendunt. Sunt ex adverso in Protestantium grege non pauci, qui Laicos etiam, modo sint eruditiois atque doctrine laude conspicui, tanquam controversiarum Judices admitti velint in Conciliis Œcumenicis: quin etiam ita fieri postularunt in Concilio Tridentino, ad quod suos quoque Ministros, viros utique Laicos, admitti petiere, qui suffragii jure potirentur.

Nos ab utroque extremo quam longissime absumus. Et Episcopos quidem suffragio, ut ajunt, decisivo ac definitivo in Conciliis potiri, verosque doctrinae judices illic sedere contendimus: Laicos vero nihil illic juris habere, quantalibet eruditiois ac doctrinae laude conspicui sint.

Probat id ratio non una sed multiplex. Itaque Episcopi constituti sunt Ecclesie ductores atque Pastores *Act. 20. Attendite vobis, & universo grege, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.*

2. Episcopi, utpote Apostolorum successores, rursus ictionem immediatam a Deo habent in Ec-

clesia, auctoritatemque pacendi atque docendi vi sacre illorum ordinationis: sunt Vicarii Christi, missi, non a Pontifice: uti plane Apostoli non sunt a Petro missi, sed a Christo: *Sicut Apostoli me Pater, & ego mitto vos, Joann. cap. 20.*

3. Claves Ecclesie, quæ judicandi potestatem auctoritatemque præferunt, sic sunt Petro Apostolo datæ, ac per ipsum Romano Pontifici, ut tamen toti ordini Apostolico, ac per ipsum toti ordini Episcopali perinde sint datæ. Ita S. August. *Serm. 295. de diversis.* *Has enim claves non homo unius, sed unitas accepit Ecclesie.* Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis, & unitatis Ecclesie figuram gessit. Quod idem hæc maxime ratione probat Augustinus: quia quod primum soli dixerat Petro sibi Dabo claves Regni Cælorum, . . . postmodum iisdem omnino verbis universis Apostolis dixit, *Matth. cap. 18. v. 18. cumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo.* Clavium igitur potestatem judicariam habent in Conciliis Episcopi cum Romano Pontifice, uti eam recepere cum Petro omnes Apostoli.

Non idcirco tamen Episcopos Romano Pontifici, seu in judicando, seu in regendo pares volo: Absit: sed Pontifici prerogativa judicii dono, jure primatus non solum judicium. Universalitatem regiminis concedo Pontifici, Episcopis portionem, nimirum intra certum aliquem locum: sic tamen ut portionem illam eo in loco exerceant jure Divino. Quare dum Romanus Pontifex, aliquem talis Diœcesis renunciat Episcopum, limites quidem definit, intra quos exerceat auctoritatem, quam tamen illic auctoritatem exercet, a Deo ipso habet, non a Romano Pontifice.

Probat rursus principale institutum ex antiquis subscriptionum formulis; Unde Episcopos bene multos observamus, veterum Conciliorum Œcumenicorum Actis subscribentes in hunc modum, *Ego N. N. Episcopus judicans subscripsi.* *Ego N. N. Episcopus definitens subscripsi.* Adeo scilicet omni retro ætate judicandi definitiende potestatem tenuerunt Episcopi.

Hanc in Episcopis auctoritatem uti ab ipso met Deo datam, Pontifices ipsi, & Patres Ecclesie priorum sæculorum agnoverunt, probaruntque.

Gelasius II. in *Epist. da Gallos* de quadam causa ibidem indicata, hæc habet: *Libenter acquiescimus. . . . fratrum nostrorum judicio, quia a Deo sunt iudices constituti in Ecclesia.*

Gregorius Magnus lib. 9. *Registri Epist. 49.* monens Archiepiscopum Arelatenſem, ut suæ Provinciae Episcopos advocet, ac Simoniacam hæresim extirpandam, ait: *ut melius ab omnibus careretur, quod, auctore Deo, omnium fuerit consensione damnatum.*

Bonifacius II. *Epist. 2. ad Cæsarium Arelatenſem* confirmans ea, quæ in Synodo Araucanica fuerant definita: *quod etiam, inquit, fraternitatem tuam habita collatione cum quibusdam Sacerdotibus Galliarum, juxta fidem gaudemus sensisse catholicam.*

His accinit D. Bernardus *Epist. 189. data ad Innocentium II. Episcoporum, quorum esset ministerii de Dogmatibus judicare.* Quod ait ille de Concilio Senonenſi, in quo Petri Abaelardi errores proscripti fuerant.

S. Leo *Epist. 89. Episcopis, Provinciae Viennensis Episcopalem dignitatem, vobis divinitus datam.* Zacharias in Concilio Romano, Episcopi speculatores animarum a Dei constituti.

Esse Episcopos Dei & Christi Vicarios, non Romani Pontificis, liquet etiam ex nonnullis aliis Pontificum testimoniis.

Hormidas enim *Epist. 25. ad Episcopos Hispaniensis* Episcopos Christi Vicarios Sacerdotes dicere vocat.

S. Gregorius Magnus *homil. 26. de Apostolis*, Apostoli vice Dei principatum tenent. *Horum profectio nunc in Ecclesia Episcoporum locum tenent.*

Gregorius VII. *Epist. 22.* Rebelles Carthaginenses hortatur ut suo obediant Episcopo: *Christi vicem super vos habenti ex debito obedite.*

Jam quod alterum asserti nostri Caput attinet, nullum scilicet Laicum, quantumlibet, eruditum, suffragii jus habere, ex sacris Ecclesie Conciliis ubi de faciendi fide agitur, demonstratur.

Ac primo quidem. In Concilio ab ipsis Apostolis habito, quod omnium Conciliorum norma dicendum est, *Act. 15. Surrexerunt autem quidam de heresi Pharisaeorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, praecipere. . . Converseruntque Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc. Quinam illi seniores? non utique Laici, sed Discipuli ex numero 70. qui & Episcopi ab Apostolis fuerant consecrati. Cui addiderim ego. Seniores idem sonare ac Presbyterum. Unde Johannes ipse in Epistolis senioris titulum sibi sumit.*

Liquet secundo ex usu veterum Conciliorum, etiam ubi praesentes aderant Imperatores, illorumve Oratores, Theodosius junior in *Epist. ad Synodum Ephesinam* haec habet: *Illicitum est, cum qui non sit in ordine Sanctissimorum Episcoporum Ecclesiasticis immisceri tractatibus.*

His omnibus suffragatur etiam ratio longe gravissima. Jus definiendi a Jurisdictione oritur, estque ex titulo & dignitate Pastoris atque Doctoris, quae ad gratiam ministrations omnino pertinet. Ipse dedit quosdam *Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in adificationem corporis Christi, ita ad Ephes. 4.* Cum Laici igitur nec Jurisdictionem, nec Pastoris dignitatem habeant; ecquis non videt, suffragii jus non habere?

Quare futile est, quod opponunt, Laicos plerumque esse doctiores Episcopis; proindeque in Sacris Ecclesie Conciliis, ubi de faciendi fide agitur, jus suffragii habere dicendum ne dum utile, sed necessarium esse. Aliud etenim est iudicium mere doctrinale, quod pendet ab eruditione atque doctrina: aliud est iudicium declivum, quod pendet ab auctoritate & Jurisdictione. Cum igitur Laici habere nequeant iudicium illud declivum pendens ab auctoritate & Jurisdictione, cum auctoritatem & Jurisdictionem non habeant, sequitur concludendum neque in Ecclesie Conciliis jus suffragii habere posse.

Futile est etiam quod ajunt, causas fidei ad Fideles omnes pertinere, unde & Laici, qui fideles sunt, in generalibus Ecclesie Conciliis, ubi de fidei sanctione agitur, jus suffragii habere posse.

Audacter nimis & inconsulte. Si enim haec ratio valeret, sequeretur, Judices fidei esse posse Sutores, tabernarios, & Caprimulgos mulieresque de Trivio: cum & ipsi fideles sint. Subjungo tamen ego ad solutionis cumulum, causas fidei ad fideles omnes aequo titulo minime pertinere. Ad alios quidem pertinent ut discipulos; ad alios ut defensores ac vindices; ad alios ut Judices atque Pastores. Cumque fidei causae ad fideles solum ut discipulos pertineant, consequens est, eas fidei causas de quibus faciendis agitur in sacris Ecclesie Conciliis, ad Episcopos tantum uti defensores ac vindices, uti Judices ac Pastores pertinere.

Corollarium loco notandum est, in Conciliis Ab-

bates & Generales Ordinum Judicium ferre, non jure Divino sed Ecclesiastico; nempe lege lata, & ad praxim adhibita in Conciliis Generalibus, Basileensi, Florentino, Lateranensi sub Leone X. & Tridentino. Nihilofecius ante ea tempora, ad ferenda suffragia admissi sunt aliquando in Conciliis Oecumenicis. In Concilio Nicæno II. *Actione 4.* subscriptos legimus, una cum Episcopis, *Archiepiscopis, id est Abbates, & Regulares Praelatos.* In libro quoque Pontificali statuitur, ut qui ab Episcopis benedicentur Abbates, sese iurando adstringant accedendi ad Concilium, quotiescumque a Papa vocabuntur.

Presbyteri aliquando, ac etiam Diaconi sapientia & eruditione praestantes, ad suffragia consultiva admissi sunt in Conciliis, ut fuge haereticos confutarent. Sic Origenes in Concilio Arabico, Malchion in Antiocheno, Athanasius in Nicæno.

Sequitur nunc altera examinanda Controversia: quinam scilicet Conciliis generalibus praesse debeant, quae uti novam materiam praebet, ita distincta ac peculiari Exercitatione pertractabitur.

PRÆLECTIO II.

Quinam praesse Conciliis generalibus debeant, proponitur, demonstratur.

Quae solet, de jure praesidis in Conciliis Oecumenicis, quaestio tractari, non tam ex antiquae historiae notitia pendet, quam ex recta vocis hujus ac tituli intelligentia: quid scilicet praesidis nomine veniat intelligendum. Aut enim Concilii Praesidem accipimus eum, qui sacrum Episcoporum cœtum dirigit, regit, moderatur in condendis Canonibus legibusque faciendis cum prerogativa suffragii: huncque Romanum Pontificem dicimus; seu praesit ille per sese, seu etiam per Legatos: aut praesidem intelligimus eum, qui pro concilianda inter Praesules pace, firmando ordine, sedando tumultu, tuenda libertate, procuranda decretorum executione, potissimum impendit operam: huncque Imperatorem utpote Ecclesie Catholicae protectorem ac defensorem utro citroque profitemur. Quae duo si Lutherani & Calvinistae paulo distinctius observassent, tantas contra Concilium Tridentinum turbas non excitassent.

Quid enim e recta ratione magis esse potest quam membrum praesse caput? quid ex prisco Ecclesiae usu tam certum indubitatumque, quam Romanum Pontificem, aut per sese, si veller, aut per Legatos si mallet, Oecumenicis Conciliis praesuisse semper, ut ea dirigeret, moderaretur ac regeret cum prerogativa suffragii, honoris & dignitatis? adeo ut Concilium Ephesinum II. eo maxime titulo e Conciliorum ordine sit expunctum, habitumque veluti latrocinium, quod submissis a Summo Pontifice Legatos excipere detrectasset; eamque Praesidis dignitatem sibi arrogasset Dioscorus Patriarcha Alexandrinus.

Unicum tota retro antiquitate legitimum Concilium Oecumenicum fuit, cui nec per sese, nec per Legatos suos praesuit Summus Pontifex: nempe Constantinopolim I. At peculiari quadam obfuit ratio, quae jus Pontificis confirmat multo magis: quia nimirum quo tempore Concilium illud Constantinopoli celebratum Episcopi Orientales, alterum Damafus R. P. ex Episcopis Oecidentalibus Romae celebrabat: atque ita subinde ex duobus illis Conciliis unicum veluti constatum est Oecumenicum; quod propterea suas fecum definitiones mutuo communicarint, probarintque, De cætero tamen Constantinopolitanum illud

PRÆLECTIO IV.

Suprema Conciliorum auctoritas eorumque indeficientia in iudicandis Fidei controversis, probatur atque defenditur.

Quod in suscepta de Conciliis Oecumenicis Tractatione praecipuum est, imo cujus gratia caetera tractata sunt universa, illud hodie disputamus: Sit ne Concilium Oecumenicum, in faciendis definiendisque fidei dogmatibus, penitus infallibile? Hinc etenim pendet altera quaestio, quae nos maxime tangit: sit ne Concilium Oecumenicum altera fidei regula spirans vivens & animata. Egere pro aris suis & focus Lutherus, & Calvinus, dum eam Conciliorum Oecumenicorum indeficientiam inficiati sunt. Cum enim suorum errorum partem plurimam in antecessum in Conciliis praedamnatam probe scirent, imminesque Tridentinae Synodi iudicium praeviderent, nulla meliori via rebus suis prospectum iri existimarunt, quam si Conciliorum Oecumenicorum supremam indeficientemque auctoritatem inficiarentur. Hanc nos hodie tuendam aggredimur, illudque fidei caput ponimus: Concilium Oecumenicum in definiendis fidei dogmatibus, indeficientis est auctoritatis: atque ita indubitata fidei nostrae regula est.

In hujus assertionis probatione, hoc primum momentum fit.

Concilium Oecumenicum universam representat Ecclesiam; imo Ecclesia ipsa est in suis Capitibus congregata; Ecclesia autem in iudicando fidei dogmate indeficiens est, nam Joann. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in eternum, spiritum veritatis.*

Secundum momentum est: Concilium Oecumenicum definit auctoritate Spiritus S. *Visum est Spiritui S. & nobis. Act. 15.* Porro si Concilium definit auctoritate Spiritus S. nulli dubium esse poterit, in iudicandis fidei controversis indeficiens esse.

Tertium defumi potest ex praxi & usu omnium priorum saeculorum; Primo enim iis anathema dictum est, qui Conciliorum statutis in causa potissimum fidei non parerent. Secundo, de novo tractari vetitum est, quod semel in causa fidei fuisset in Concilio Oecumenico definitum.

Liquet hoc etiam ex incommodis & absurdis, quae procul dubio sequerentur si Concilia Oecumenica falli possent. Nihil sane pro certo haberetur in Religione Catholica. Novum examen potissimum fieret quorumcumque dogmatum, in quibusvis Conciliis definitum; quinimo nullum illorum novum examen haberi posset, a quo (rogo vos) fieret? alia tandem sexcenta absurda sequerentur, quae longam esset singularum recensere.

Videndum nunc, quid generatim opponant Lutherani & Calvinistae adversus Conciliorum Generalium indeficientiam; tum videbimus in sequentibus, quid speciatim & singularim contra nonnulla Generalia Concilia opponere soleant.

Ajunt hi loco primo, singulos Episcopos, ex quibus constantur generalia Concilia, falli posse: uti profecto errarunt omnes in veteri Testamento: *Speculatores ejus, inquit Isaias cap. 56. caeci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare.* Quod habetur etiam *Jeremiae 6. A Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolium.* Igitur posse & omnes errare fidenter concludunt, cum

illud ex ipsa sui celebratione, ac se solo ut ita dixerim, non est habitum Oecumenicum: quod illi nec per sese, nec per Legatos Romanus Pontifex praesuisset; sed ratione acceptationis subsequenti a Romano Pontifice factae, Oecumenici titulum habuit.

Perperam autem objicit Calvinus, Concilium etiam Nicænum primum, absque ullo Pontifice Praeside, fuisse celebratum, Sylvestrumque R. P. ei minime praesuisse per Legatos suos vulgo iactatos Osum, Vitum, & Vincentium: propterea quod Eusebius, & Socrates, & Sozomenus, & Theodoretus, dum de iis loquuntur, eos Legatos Pontificis fuisse non dicant; sed omnino sileant. Perperam inquam id iactat Calvinus. Sed quid inde? meminerunt enim Photius *lib. de 7. Synodis*, Hincmarus, *Epist. 20.* Meminere etiam implicite Theodoretus, & Socrates, dum scribunt, Vitum & Vincentium locum Pontificis suppluisse.

Neque obest, quod Eusebius refert *lib. 3. de vita Constantini c. 11.* primum inter Episcopos Nicænos in dextro Ordine locum obtinuisse Eustathium Antiochenum: cum primum Pontificis Legatis dandus fuisset, si qui illic adfuissent.

Ast erit forte, qui objiciat. Illius jus est Conciliis praesse, cujus est eadem confirmare: At Imperatores saepius Concilia confirmarunt: quandoquidem Eusebius *lib. 3. de Vita Constantini cap. 16.* Epistolam illius refert, qua Nicænam Synodum confirmavit.

Patres etiam Concilii Constantinopolitani I. datis ad Theodosium Epistolis, acta sua ab illo confirmari postulant. Quod alia quoque Concilia fecerit inde temporibus fecere.

Nugae profecto nugae eaque nugacissimae: Confirmarunt quidem Imperatores tunc temporis Concilia quoad externam editorum Canonum executionem, non tamen quoad vim obligandi in conscientia. Hanc enim a R. Pontifice postulare solent confirmationem. Ex quo videtis, nil quicquam contra statutam sententiam extendi posse.

Quo loco (quandoquidem Pontificiae Confirmationis mentio incidit) praestat obiter errorem refellere sat late manentem; Eorum nempe qui putant, Concilia Oecumenica vim omnem suam auctoritatemque obtinere a R. Pontifice, propterea quod ab illo, quoad vim obligandi, debeant confirmari.

Non est ita profecto, non est ita; sed suam a Deo habent auctoritatem. Suadet hoc ratio non una, sed multiplex. Primo enim Concilium a Deo ipso iudicandi, & definiendi habet auctoritatem, uti sacris in litteris legitur: *visum est Spiritui Sancto, & nobis, Act. 15.* Secundo Episcopi, quibus constatur Concilium, a Deo ipso regendi, adeoque & definiendi potestatem habent, non a R. Pontifice, ut superius exposuimus. Unde Pontificia confirmatio non nisi externa quaedam conditio est, ut innotescat, quodnam verum sit Concilium Oecumenicum; conditio, inquam, non tribuens auctoritatem Concilio, quam habet a Deo, sed eam declarans ac manifestans. Aut etiam Pontifex confirmatione sua auctoritatis cumulum addit Concilio Oecumenico tamquam caput membrum adjunctum, non omniacem & integram tribuit auctoritatem.

Quia ergo nova de Conciliorum auctoritate, deque illorum indeficientia sese hoc loco aperit difficultas non segniter ac desuaviter perpendenda; idcirco in Disertationem sequentem mitemus expediendam.

cum a singulis sufficienter enumeratis valeat ad omnes consecutio.

Proh vanam argutationem altidumque sophisma? licet hic mihi longe altius exclaimare: a singulis enim sufficienter enumeratis valet quidem ad omnes consecutio in Physicis, facilis tamen, & ludicra in moralibus est. Quibus reponimus etiam, posse quidem omnes Episcopos falli & fallere seorsim ac distributive acceptos: minime vero, si collective, & ad Concilium congregati sumantur. Ratio in promptu est. Promisit quidem Deus congregatis Episcopis, & Concilio ex iis constanti infallibilitatem *Matth. 18. Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Nunquam tamen cuilibet in individuo accepto Episcopo infallibilitatem adpromisit. Temere igitur & inconsiderate moluntur Viri subtilissimi, nostra omnia tali pacto vitiligare atque distringere.

Instans nihilominus adversarii disertissimo D. Augustini testimonio *lib. 2. de Baptis. cap. 3. dicentis*, plenaria Concilia *sepe priora posterioribus emendari*; ex quo inferunt, agnovisse Augustinum plenaria Concilia errori quandoque subesse posse.

At errat quisquis eo lato Augustini testimonio plenaria Concilia fallere posse comminiscitur. Nam eo loci Augustinus, non intelligit emendari priora Concilia a posterioribus posse in dogmatibus, sed vel in factis, vel in rebus ad disciplinam atinentibus; unde id accidere ait, *cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat.*

Altero tamen nodo difficultatem implicant Adversarii, ut Conciliorum auctoritatem atque indeficientiam elidant. Concilium, inquit, Francofordiense anno 794. celebratum, cui adfuerunt Legati Pontificii, & recenti Occidentales Episcopi; decretum de colendis imaginibus latum in Concilio II. Nicæno damnavit, quamquam utrumque universale fuerit, ex quo inferunt, nullius auctoritatis fuisse Nicænum Concilium, cum latum ab eo Decretum a Francofordiense Concilio damnatum fuerit; & vel unum aut alterum aberrasse. Vel Nicænum in decreto de cultu sacrarum imaginum sanciendo; vel Francofordiense in lato decreto condemnando.

At non est nodus iste tanto vindice dignus. Ad primum reponere facile est, Francofordiense non fuisse generale Concilium, cum ad illud Orientales Episcopi minime vocati fuerint, aut ipsi eorum aliquis adfuerit; e contra Nicænum II. generale Concilium fuit, cum ad ipsum Orientales & Occidentales Episcopi per Romanos Ecclesie legatos adfuerint.

Quo ad secundam propositam difficultatis partem atinet, dico, errasse quidem Francofordiense Concilium in questione facti, non autem in questione juris, nam Patribus Concilii Francofordiense visum fuerat, quod Concilium Nicænum definiisset, *Sanctorum* imaginibus eundem cultum esse exhibendum, qui debetur Sanctissime Trinitati: *Allata est in medio questio de nova Græcorum Synodo (apertissima sunt ejusdem Concilii verba can. 2.) quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non imponerent, anathema judicaretur. Qui supra Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitium reventes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Hoc adeo verum, quod cum ab Occidentalibus postea Germanis Nicæni Concilii sensus intellectus fuerit, ipsum omnes Occidentales Ecclesie pro Œcumenico receperunt, ejusque definitioni firmiter adhererunt. Pauca hæc adversus su-

periorum secularum Concilia Œcumenica objicere solent Lutherani & Calvinistæ, ut illorum auctoritatem enervent. Verum adversus Concilium Tridentinum, a quo proscripti damnatique sunt, declamant licentius multo ac petulantius. Quare ut illorum insultus repellamus, jactasque in eam Sanctissimam Synodum calumnias diluamus, binas ac etiam ternas Prælectiones sequentes habebimus.

PRÆLECTIO V.

Satisfit Momentis Lutheranorum & Calvinistarum, quibus Concilii Tridentini robur & auctoritatem oppugnant.

Concilii Tridentini vindicias adversus Protestantium querelas adornaturi; si brevitate, præ rerum copia dicendarum, tenere non possumus, at saltem methodum dicendo servabimus, amplissimumque argumentum in varias Prælectiones distribuemus, ne cui forte simus onerosi. Quapropter generales & vagas Protestantium criminationes in presentia occupabimus; quibus violatas Juris sacratissimas leges a Tridentinis Patribus conqueruntur in ipsa Concilii celebratione: tum in sequentibus peculiare & individuas querelas repellemus, quibus varia doctrinae capita in variis sessionibus officianter & ignoranter tractata atque sancita calumniantur. Itaque ad rem ipsam veniamus. Primariam naturalis juris regulam in Concilio Tridentino violatam conqueruntur Protestantibus; quæ nimirum sanctissime cautum est, ne quis Judicis simul & partis disceptatricis personam sustineat. Romanus quippe Pontifex, ajunt illi, totaque Ecclesia Romana, quam sexcentorum errorum inculcaverant Lutherus atque Calvinus, Judicis, & partis disceptatricis personam egit in Concilio Tridentino; atque ex hoc primam illi notam afficiunt Protestantibus.

Futiliter tamen & ignoranter. Si porro sic est, nullus Regiæ Majestatis reus, nullus Reipublicæ perturbator in judicium vocari, damnarique poterit: Nullus Novator, nullus hæresarcha, nullus perditæ sectæ auctor; Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches: cum & ii, Pontifices Ecclesiamque, quæ illos seu in Conciliis, seu extra Concilia damnavit, novitatis & corruptelæ circa fidem, pariter accusarent. A quibus ergo judicandi fuerant Lutherani & Calvinistæ? Ab Imperatore, a Regibus, a suæ ipsorum Sectæ Professoribus?

Cui & illud addiderim, Principem, & Rempublicam, ubi boni publici questio vertitur, supremam auctoritatem, nunquam partis disceptatricis personam, contra subditum sustinere, maxime si juris, non facti questio moveatur. Ex quo concludendum nobis est, Pontificem, & Ecclesiam in Tridentino Concilio convocatam tum ad confirmandam fidem contra Lutheri, Zuiniglii, Calvinii, aliorumque hæreticorum errores, tum ad restituendam Ecclesie disciplinam, quam bella & hæreses labefactiverant, disceptatricis personam minime sustinuisse.

Momentum alterum nullitatis petunt a loco latu Judicii. Ex antiquis canonibus liquet, in Provincia sua non extra debere accusatos judicari. At cujus enim auctoritatis ac roboris erant tot Romanæ Ecclesie Judicia extra suam provinciam, Tridentum nempe, convocata? debebat celebrari in causa de qua agebatur in Germania; nam par erat ut negotio finis imponeretur, ubi inceperat.

Temere tamen hoc recinunt & inconsulte importuni cavillatores: debent enim in sua Provincia

DISPUTATIO IV. PRÆLECTIO V.

cia accusati judicari in causis privatis, ac ubi de factis personalibus questio est, non vero in causis publicis, ac ubi de jure queritur. Ratio in promptu est; quia in factis personalibus, testes, ex quorum testificatione res facti pendet, non tam facile in loca distita advocari possunt. Secus est in causis fidei: cum enim ad omnes spectent, ubique possunt examinari. Sic hæresis Ariana orta Alexandriæ in Egypto, damnata est Nicææ in Bithynia. Nestoriana orta Constantinopoli in Thracia, damnata est Ephesi in Asia Minori. Pelagiana orta in Britannia, in Africa proscripta est. Donatistarum hæresis orta in Africa, Romæ damnata est & in Galliis. Non est cur igitur hujus Sacræ Synodi auctoritatem Protestantibus elidant eo, quod fuerit celebrata Tridentum, quæ commoda Germanis Civitas erat, minime suspecta, Ferdinando Imperatori, non Romano Pontifici beneficiaria; quæ etiam in Spiritu Conventu anno 1542. a Germaniæ Principibus postulata fuerat.

Minus multo refert, quod illi statim subjiciunt, ut Tridentini Concilii auctoritatem enervent, Non interferere, (ajunt hi) Concilio Tridentum Germaniæ Protestantibus, & Principes Confessionis Augustanæ; imo accedere liberum illis non fuit: cum illuc accedere nemini liceret, nisi prius jura in verba Pontificis.

Sed ajunt hoc illi tantum, non probant, imo liquet esse falsissimum. Libera enim accedendi facultas data est etiam Protestantibus, concessæ sæpius literæ liberi commeatu; quæ nunc etiam leguntur *Sess. 13. 15. 18.* Sed illi ipsi sunt, qui nimium diffidentur vel intervenire noluerunt, vel nonnulli iniquis conditionibus adesse volebant.

Quartum momentum, in quo Lutherani vim maximam ponunt, illud est, quo sublata ajunt a sacratissima illa Synodo Episcopis judicandi libertatem: 1. Quia legati Pontificii rerum proponendarum arbitrium ad se solos traxerunt: imo & hanc formulam *proponentibus legatis* actis ipsis millies inseri voluerunt, contra quam ab Hispanis semper est reclamatum: 2. Quod nihil Patribus Tridenti deliberandum proponeretur, nisi quod Pontifici Romæ degenti placeret, nihil sanciretur, nisi quod ille probasset primum Judiciumque suum per submissos Cursores transmississet: Unde Scœmma illud publice increbuerat: Spiritum S. Roma Tridentum in mantica deferri solitum fuisse: 3. Quod si qui forte Episcopi liberam vocem in ferendo judicio mitterent ad reformandos præsertim abusus RR. Pontificum & Curie Romanæ, statim illis ora frangereatur: uti Episcopo cuidam Gallo accidit.

Sed est illa per omnia capita calumnia puridissima.

Primo: Ad libertatem Concilii minime pertinet, ut privato cuique liberum sit proponere ad Judicium quæcumque vellet, sed ut cuique liberum sit, super quacumque re proposita; sententiam ferre, alias pax nulla, nullus ordo esset. Porro jus proponendi penes Legatos Pontificios & Conciliorum Præsides solos semper extitit in prificis Conciliis Œcumenicis: Maxime Ephesi, Chalcedonensi, Constantinopolitano III. Nicæno II. Constantinopolitano IV. aliisque subinde in Occidente celebratis. Hispani autem non reclamant, ne id fieret, sed ne id in actis semper exprimeretur, Quid ni quoque dicamus: si quid Episcopi aliqui Concilio proponi vellet, poterat ante publicam sessionem legatos & Præsides convenire, & significare.

Falsum postea est, quod 2. loco subjungunt, nihil sanxisse Patres Tridentinos, nisi quod illis

Serry Tom. IV.

Pontifex præscripsisset; quasi sublata illis fuerit sancendi ac judicandi libertas; sed R. Pontifex Romæ degens suis consiliis monitumque per Epistolam missis juvabat Patres, Tridenti sedentes, quæ res publico & propudioso scommati locum dedit, *Spiritum S. Roma Tridentum in mantica deferri.* Certe hoc idem fecere olim Romani Pontifices Celestinus, Leo Magnus, Agatho: sua quoque ad Concilia, quæ tunc habebantur, consilia, monita, referipta, sententias transmittunt, quia propterea effutierint maligni obretractores, Spiritum S. Ephesum, Chalcedonem, Constantinopolim in mantica fuisse missum; aut Patribus illis in Concilio congregatis ademptam esse suffragiorum libertatem.

Cæterum noluisse propterea Paulum III. aut Julium III. aut Pium IV. hujusmodi transmissis monitis atque Consiliis, liberam sentiendi judicandique facultatem Episcopis adimere, liquet ex Epistolis Cardinalis Farnesi & Cardinalis Borromæi ad Legatos datis anno 1546. & 1563.

Quare si cui forte Episcopo Gallo impropertum est, quod liberius pro Galli conditione cantaret ad Petrum excitandum: id forte contigit, quod modum excederet privatus ille, nimirumque re ipsa cantaret: quod in numerosissimo cætu non potest non aliquando contingere: aut id illi ab altero privato Episcopo impropertum est, cui non satis placebat illius Galli cantus. Nec enim a Legatis, aliisque Concilii Præsibus Gallum illum legitimus reprehensum.

Quæ tamen generatim & universim contra Synodum Tridentinam objiciunt Protestantibus, ut illius auctoritatem exfunderent, abunde satis occupavimus. Nunc illa nobis occupanda veniunt, quæ singularim, ut ita loquar, & individue adversus ejusdem peculiaritatem & singularia decreta opponere solent, ut neglectum in Synodo Tridentina Judiciorum ordinem probent, violatas juris formulas palam faciant; politicas Præsulum illic Judicantium artes, iniquas molitiones in propatulo ponant. Quæ certe, si uti objiciuntur, ita constarent, Conventum Tridentinum, non Concilium Œcumenicum vocare fas esset, sed Concilium Malignantium, Nebulionum coitionem, Bambalionum Latrocinium, Sathanæ Synagogam. Has itaque Protestantium criminationes ordine persequar, & calumniæ plenas palam ostendam.

In prioribus igitur Tridentinæ Synodi sessionibus prima scilicet, 2. 3. & 4. tria maxime reprehendunt, quæ illius auctoritatem penitus enervarent: 1. Quod ad primam paucorum Episcoporum appellum, ceperint de rebus omnium maximis pronunciare, statuere, definire; de Symbolo scilicet, de Sacrarum Scripturarum Canonibus, condendo, de divinarum Traditionum auctoritate, aliisque id genus multis. 2. Quod unam Scripturæ Sacræ Versionem Vulgatam, authenticam, pronunciarint; atque ita primigenios fontes abjecerint. 3. Quod hanc ipsam Vulgatam Versionem authenticam pronunciarint, antequam esset a mendis repurgata; Quæ res a Romanis ipsis Theologis improbatæ est, uti liquet ex Littera Cardinalis Farnesi ad Legatos anni 1546.

Quibus omnibus respondemus, quod si, quid rei fuerit, distinctius perpendatur, nihil est, quod in quatuor illis sessionibus merito cavillentur Heterodoxi. Quod primum criminationis caput attrinet; quæ illic primitus gesta sunt, postmodum accedentibus cæteris Episcopis rata & confirmata fuere. Quid ni dicamus; res illæ tales non erant, quæ nova consultatione, novoque examine egerent. De Symbolo namque sat legitimus examina-

R r

tum.

tum in Synodo Nicæa celebrata. De canone Scripturarum, in Concilio Laodicensi, Carthagenensi, Romano, Florentino sub Summis Pontificibus Innocentio I. Gelasio I. Eugenio IV. Sat de Traditionibus non scriptis in Concilio II. Nicæno.

Quod alterum criminationis caput attinet, dico; Vulgatam editionem non eo sensu Concilium Tridentinum authenticam declarasse, quod Hebraici & Græci Textus, qui leguntur in Bibliis, non sint authentici, sed quod multæ aliæ Versiones Latine, quæ tunc circumferebantur, authentica non essent.

Cæterum: Tantum abest, Tridentinum Concilium Vulgatam Versionem latinam Hebraicis aut Græcis fontibus anteposuisse, ut illam nullo modo cum hisce fontibus comparaverit. Quinimo illorum ne implicite quidem meminisse liquet ex Cardinali Bellarmino de verbo Dei lib. 2. cap. 10. ubi sic loquitur: Hoc ideo mendacium voco, quod nihil ejusmodi in Decreto Concilii legatur. Nec enim Patres fontium ullam mentionem fecerunt. Et multo disertius Alphonsus Salmero Prologomeno 3. Ubi de Latina Versione sermonem instituit: Nihil enim ibi, in Concilio, de exemplaribus aut Græcis aut Hebraicis, agebatur, tantum inter tot editiones latinas, quæ nostra sæcula parturierunt, quoniam ex illis præstaret, sermo erat: & rejectis reliquis latinis, unam hanc Vulgatam, reliquis tanquam veriorum, puriorum, dilucidiorum, ac suis fontibus, unde est orta, magis consentientem pronuntiavit; atque huic soli, ut commentariis & Scholis illustraretur, consulit.

Ad tertium intentatæ querelæ caput respondeo, Tridentinum Concilium non eo sensu Vulgatam Versionem authenticam declarasse, quod nulla omnino errata, seu menda in ea reperiantur. Quod adeo verum, ut illo tempore, quo decretum de Vulgaræ editione Sacra Synodus promulgavit, peritissimis Doctoribus mandavit, ut illius emendationi industriam ac laborem impenderent. Quod mandatum cum Summi Pontifices Pius IV. & Pius V. exequi cœperint, jussu tandem Sixti V. ad exitum perductum fuit. Quinimo istius Pontificis constitutio de Vulgaræ versionis correctione, quæ prodit anno 1589. quæque incipit his verbis: *Æternus ille celestium*, fuit iterum emendata Romæ sedente Clemente VIII.

In Sessione 14. Illud maxime carpere solent: quod ad pecuniæ aucupium decreta sit reservatio aliquorum casuum seu Romano Pontifici, seu Episcopis, contra sententiam ac votum Theologorum, qui illic aderant, Lovaniensium, & Coloniensium: qui juxta præfatos Theologos, solas censuras, non item delicta reservari posse contendebant. Quod publicæ penitentiam usum abrogavit.

Pura putaque calumnia illa est. 1. Quia sine pecuniæ absolutio dari potest. 2. Non est verisimile oppositum sensit Lovanienses & Colonienses; ignorare quippe non poterant, Concilium Rhemensis sub Innocentio II. Lateranense II. Clericorum percussores & incendiarios a solis Episcopis absolvi posse declarasse; ut alia longe multa præfata decreta omittam. Soli repugnarunt ex præfatis Theologis Durandus, Gersonius, & Casertanus, at temere quidem: cum reservandi potestas appendix sit datæ a Christo potestatis. Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælis, Matth. 18. v. 18.

Ridendi vero sunt Protestantes, qui cum ne privatam quidem & auricularem confessionem in usu habeant, Ecclesiam criminantur, quod publicam confessionem sustulerit.

Ad cuius resolutionem dico, duo hic esse di-

stinguenda, publicam nimirum delictorum confessionem, & publicam penitentiam subeundam: Hanc ultimam pro delictis publicis instaurari optavit sess. 24. cap. 8. de Reform. Istud caput est disciplina, quæ mutationem patitur, ac etiam quandoque postulat ob delictum teporem & corruptelam.

In hac ipsa Sessione 14. Patentem hallucinationem & aberrationem observant Protestantes de Sacramento Extreme Unctionis: quod nempe illud a Christo institutum dixissent Tridentini Patres, Marci 6. Ubi notatur Apostolos ægrotos unxisse: quod postmodum a privato Theologo admoniti emendassent, & apud Marcum delinatum tantum & infirmatum definitivum.

Calumniam patentissimam reteggit Cardinalis Palavicinus lib. 12. Historia sue Cap. 12. Hoc enim decretum a Sacra Synodo primo formatum est post initium Mensis Novembris: cum diu antea, diebus scilicet 22. & 23. Octobris in præliminibus Theologorum collationibus, plerique illorum observassent, hujusmodi Sacramentum non institutum, sed adumbratum & infirmatum fuisse Marci cap. 6. Nimirum Jodocus Ravelstein Theologus Lovaniensis, Jodocus Tiletanus, & Sigismundus Fedrius Ordinis Minorum.

Ut sileam, incredibile esse, id potuisse Tridentinos Patres ignorare, quod utatissimi & Communissimi Theologi diu antea observant, Hugo a S. Victore, Magister Sententiarum, Alexander Aletius, D. Thomas, D. Bonaventura; alterius scilicet rationis esse unctionem de qua Marcus Cap. 6. & de qua Jacobus cap. 5. ut id a privato Theologo, postquam turpiter lapsi fuerant, internoscere debuissent.

In sessione 21. In decretis editis pro interdicendo laicis usu Calicis, pari audacia cavillantur Protestantes, quod scilicet statuunt Tridentini Patres, nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. Ex quo sequitur, fuisse oblique definitum, privari illos aliqua gratia, saltem ad salutem minime necessaria.

Sed spuria est consecutio. Nam primum quidem definire in sacra illa Synodo Tridentini Patres; de altero vero profus abstinere.

Age tamen, inquit Protestantes, fit ita: eaque gratia, qua privantur, qui sub una tantum specie communicantur superabundans sit, & ad salutem fortassis minime necessaria; congruit ne Ecclesiæ charitati, hac ipsa qualicumque gratia a Christo exhibita, filios suos defraudare?

Cui tamen depellendæ calumniæ satis sit observare, hanc ipsam gratiam, si absolute forte non congruat, congruere tamen sub certis rerum conditionibus, ubi in periculum venit honor, cultusque debitus Sacramento, ubi agitur de vitandis incommodis. Congruit inquam tunc, ut superabundanti gratia priventur fideles potius, quam in contemptum veniat Sacramentum. Ecquod enim Ecclesiæ decreta sunt, Protestantibus etiam non improbara, quibus oblique privantur, fideles aliqua superabundanti gratia, quæ ad salutem non est simpliciter necessaria? ut quod pluries in die Eucharistia sumi non possit: quod nonnisi a jejuniis accipiatur: quod a vomitu patientibus non fumatur: quod certis diebus sacrum fieri nequeat: quod a laborantibus morbo Epileptico nunquam fiat: quod tam subtili tenuique forma, species panis accipiatur; aliaque id genus.

Urgent tamen illi: formula saltem Canonis II. ea de re editi, insulsa & absõna est: dum ita dicitur: Si quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis, & rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam Clericos, non conficien-

tes, sub panis tantummodo specie communicaret; aut in coerrasse; anathema sit. Factum enim humanum uti obiectum fidei ibi ponitur. Quod enim certis de causis ac rationibus Ecclesiæ ducta fuerit ad id statuentur factum humanum est.

Minime vero, sed factum plane divinum est, seu verius dogma revelatum: Ecclesiam scilicet in rebus seu fidei seu morum decernendis errare non posse, a Spiritu S. dirigi; atque ita quidquid in hujusmodi statuerit, iustis de causis & rationibus duci.

In sessione 22. Duo fugillant maxime: 1. Quod non expedire declararint, ut Missa vulgari passim lingua celebraretur; quod & præfata Ecclesiæ disciplinæ, & Apostolica doctrinæ, & Romanorum Pontificum Joannis VIII. & Gregorii VII. indultis palam aperteque repugnat. (a) Apost. 1. ad Corinth. 14. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus, & qui loquitur, mihi barbarus.

Secundo, Quod ad incurrentum altaris sacrificium exprimentum, Missæ vocabulum usurpet, a Theologis posteriorum sæculorum ignoranter inventum.

At nos nihil ista moramur. In primis ratio iusta subesse potuit veteris disciplinæ immutandæ: 1. ad majorem Sacris Mysteriis venerationem conciliandam: Quæ enim vulgari lingua panduntur, non pari veneratione excipiuntur, 2. Quia in ea linguarum varietate facile error elocutionis obrepere solet. 3. Quia cum lingua Vulgares seu vernaculæ quotidie immutentur, ideo mutationem veteris illius disciplinæ, uti necessariam tunc temporis, Patres exiitmarunt.

Quid ni dicamus ad pleniorum illius calumniæ confutationem, mutationem illam non esse factam in ritu, sed in populo. Apostolus vero obiecto loco nihil ad præfatum Institutum decernit. Cum non de publicis Orationibus ab Ecclesiâ fundendis agat, sed de concionibus, adhortationibus ad populum haberi solitis. In eo porro discrimen est, quia in illis Sacerdos Deum alloquitur, in istis populum, ut eum doceat; vel de Orationibus, quas primi Christiani dono linguarum præditi ex tempore componebant; & ad fratrum solatium in publico catu recitabant. Joannis VIII. & Gregorii VII. indulta nihil incommodat, quia passim Missæ vocabulum, jam a quinto Christiani nominis sæculo inductum est. Ita S. Augustinus Serm. 227. Novæ Editionis Parisiensis PP. Benedictinorum, qui est quartus in die Paschæ ad Infantem de Sacramentis, id est de mense Dominica Sacramentum. S. Leo ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum Epist. 11. Edit. P. Quæstus cap. 2. Vigilius R. Pontifex ad Prefuturum Bracarensem Episcopum scribens cap. 5. S. Cæcilius Arelatenus Sermone ad populum habito. Concilium II. Bracarense Anni 563. Canone 4. (b)

Missæ vocabulum ad sacrificium Eucharisticum designandum a primis Ecclesiæ sæculis usurpatum aliqui putant, probantque ex Canonibus Apostolicis, Epistolisque decretalibus Romanorum Pontificum Clementis I., Evaristi, Alexandri, Telesphori.

Si quæret fortasse quispiam, unde sit sumptum hoc nomen? Ex D. Augustino Sermone 237. & ex S. Isidoro Hispalensi lib. 6. Orig. cap. 16. Nempe a Missione Catechumenorum. Quia in sacris olim Christianorum post habitam ad universum populum concionem, Catechumeni foras mittebantur, dum erat inchoandum Sacrificium. Inde hoc ipsum Sacrificium, Missa dictum est, nomine passim Serry Tom. IV.

rum congruo, & obscuro ad rem divinam significandam, sed & hoc ipsum obscurum nomen usurpare in Ecclesiâ tunc libuit, ut hominibus falsas Religiones colentibus hoc symbolicum nomen ignotum esset, ne fideles ipsi proderentur, dum ad Missarum solemniam vocabantur. Ita Aug. serm. 237. In sess. 23. Patribus Tridentinis illud præ cæteris vitio dant: Quod in præsumendo sacrorum Ministrorum ordine, eorumque variis gradibus distinguendis, superbo nimis vocabulo uti sint, & præfatis Ecclesiæ Patribus ignorato; vocabulo scilicet Hierarchie Ecclesiæ: cum potius juxta Christi D. & Apostolorum documenta, hierarchiam aut hierarchiam dicere debuissent; sacrum scilicet ministerium.

At nec id quidquam nos movet. In primis, Hierarchie nomen non incongrue usurpatum est. Cæterum dico, utcumque sese res habeat, a VI. saltem Ecclesiæ sæculo id nominis usurpatum esse; tum ab auctore illo non adeo contentendo; tum a S. Maximo Martyre, qui Dionysii libros commentariis illustravit.

Nec dum criminationum & calumniarum finis est, quibus Tridentinæ Synodi auctoritatem depromere molliuntur nostræ hujus ætatis Heterodoxi.

Si unquam tamen adversus Tridentinæ Synodi statuta atque decreta libere debacchantur, tunc certe maxime, ubi de decretis Sessionis 23. quæstio venit; in quibus de Episcoporum reformatione actum est. Tunc enim præ cæteris patuisse, ajunt Protestantes, totum illum Tridentinum conventum, meram politicorum hominum coitionem fuisse. Cum enim de assidua Episcoporum in suis Diocæsi bus commoratione, quam residentiam de more vocant, ageretur; juris ne Divini esset, an Ecclesiastici duntaxat; Italæ Episcopi veriti, ne si Residentia juris Divini esse decerneretur, non posset in ea Pontifex dispensare; atque ita pompaticus Romana Curia apparatus Episcoporum in suis Diocæsi bus non residentium frequentia plus sequo luxurians immineretur: totis viribus, juris Divini non esse contenderunt, Hispanoque Episcopos, Divini juris illam esse contententes, salibus & conviciis profciderunt; hæreseos notam procaciter illis affricuerunt; sæpius etiam succellarunt plus sibi molestiæ ab Episcopis illis inferri, qui Catholicos agerent, quam vel ab ipsis Germaniæ Protestantibus. Ubi vero Galliarum Episcopi Tridentum adventarunt, & in eandem cum Hispanis sententiam descenderunt, ac nervose etiam defenderunt, Itali in has voces contumeliosas proruperunt, Ex hispanica scabie incidimus in morbum Gallicum. Quin & ipse Romanus Pontifex, Romæ degens, re tota ex Legatorum suorum Epistolis intellecta, ut salutarem illam Divini juris declarationem impediret, quadraginta circiter subsidarios Episcopos ex Apulia, Sicilia, Calabria tumultuarie collectos, Tridentum submisit, quibus ad cæterorum Italarum sententiam accedentibus, est actum est, ut ne meditarum decretum de Residentia juris Divini sanciretur; quo nullum ad Ecclesiæ reformationem sanctius poterat promulgari. His ferme querelis Protestantes in Synodum Tridentinam tibias suas instant.

Audacius tamen, & multo quam par est petulantius exaggerantur hæc omnia. Est enim insensibile omnino nolum, humani fortassis aliquid passos esse Episcopos Italos ea in occasione, saltem tamen est, quod subjungunt, hæreseos notam affricuisse, salibus & conviciis profciderisse, ob id quod Hispani Residentiam juris Divini esse contenderent;

(a) Vide Natal. Alexand. Tom. 8. Hist. Ecclesiæ, pag. 652. Parisiis edita 1730.

(b) Vide Natal. Alex. Tom. 8. Hist. Ecclesiæ, pag. 552, 553, & 654. Edit. Parisi, Anni 1730.

Constat hoc primo ex actis Cardinalis Paleoti, varisque litteris a Cardinali Pallavicino relatis *lib. 17. hist. Conc. Trid. cap. 8. & 13.* ex quibus liquet, Italia Episcopos XXXI. in severiorem sententiam de Episcoporum residentia, jure Davinogre precepta, cum Gallis & Hispanis descendisse.

Constat secundo, illos ipsos Episcopos Italos, ab aliis infirmatos (quod sententiam illam Pontifici parum gratam amplexi fuissent) excusationis epistolas ad Pontificem ipsum scripsisse, a quo tamen responsum accepere, gratum sibi fuisse, quod pro conscientia sua suffragium in ea Sessione dedissent, velleque se, ut summa cuique in Concilio sentiendi libertas fervaretur.

Tertio constat ex eo, quod tamen distincto & aperto decreto definita non sit in Concilio Tridentino Episcoporum Residentia, uti jure Divino precepta, virtute tamen, & ex consequenti definita videri potest. Sic enim ea in Sessione declarat Synodus Tridentina: *Cum precepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnosce, pro his sacrificium offerre; verbique Divini predicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere: . . . que omnia nequaquam ab eis prestari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt.*

Quibus omnibus adderem tot Veterum Conciliorum exempla, in quibus pariter quoque Episcoporum contentiones, alterationes contigerunt, si diutius abuti patientia vestra non dubitarem.

Haud minoris querelæ occasionem Protestantibus præbuit *Canon 7. Sessionis 24.* qui quidem his verbis primum statutus fuerat ac definitus: *Si quis dixerit Matrimonia consummata ob adulterium dissolvi, anathema sit:* postmodum tamen instantibus Venetæ Reipublicæ Oratoribus, ita temperatus reformatusque est *Canon ille*, qualis nunc in Actis habetur: *si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonium vinculum non posse dissolvi. . . anathema sit.* Quorum certè canonum æquis non videt diversum admodum sensum esse. Ex quo argumentantur hoc pacto: aut ergo affante Spiritu S. fuerat primo canon ille editus, atque decretus; aut non. Si primum, igitur non poterat canon ille Venetis instantibus Oratoribus temperari, ac reformari; ad id igitur, quod in canone sancitum fuit, non tenebitur fidelis.

Sed brevi observatione tota vis hujus argumenti profrenitur, brutumque fulmen cadit in irritum; si videlicet observetur in Concilio Æcumenico rem non esse censendam, auctore Spiritu S. ultimo definitam, nisi ubi ab Episcopis omnibus in suffragium itum est. Porro Canon, quo sub anathemate sancitum est, *si quis dixerit matrimonium consummatum ob adulterium dissolvi, anathema sit;* a Theologis consultoribus delineatus quidem fuerat, & ab aliquibus Episcopis recognitus & approbatus; non omnes tamen Episcopi ad suffragia venerant. Unde res adhuc indecisa censetur.

Ad hæc: Decretum hoc ut fuit secundis curis reformatum, nihil absolute decerni priori meditato contrarium: sed ut ut maxime id omittit definire ut fidei dogma, quod priori definitur.

PRÆLECTIO VI.

Sint ne Concilia Generalia aliquando Ecclesiæ necessaria, quæritur. Quando nam, & quibus in casibus, ea Conciliorum necessitas urgeat, demonstratur.

Quod postremo omnium loco, de Æcumenicis Ecclesiæ Conciliis, quæri solet, sint ne Ecclesiæ Catholicæ necessaria, illud hodie disputamus. Quod ut præstemus ordine debito, generatim & universe quæremus primo, sint ne Concilia Generalia aliquando Ecclesiæ necessaria? Tum singularim & individue disputabimus, quandonam & quibus in casibus ea Conciliorum necessitas urgeat.

Esse Concilia generalia quandoque Ecclesiæ Catholicæ necessaria, ille solum inficiabitur, qui Ecclesiam ipsam summæ imprudentiæ arguere velit. An non enim ingentis imprudentiæ illud esset tot impediis, tot periculis, tot incommodis, generales illos Episcoporum omnium conventus celebrare, quorum non esset summa necessitas? celebravit autem Ecclesia ad hanc usque diem Concilia hujusmodi generalia undeviginti: Nicæna duo, Constantinopoli quatuor, Romæ in Laterano itidem quatuor, Lugduni duo, Ephesi, Chalcedone, Viennæ, Constantiæ, Basileæ, Florentiæ, Tridenti, in singulis unum, ita ne quæso inutiliter ac facilliter omnia? Equis ergo non videt, Concilia aliquando esse Ecclesiæ Catholicæ necessaria?

Illud itaque diligentius inquirendum, quando nam, & quibus in casibus, Concilia hæc necessaria sint? Et quidem de diversi ordinis casibus quæstio moveri potest; aliis quidem ubi de ipsa Fidei summa agitur; aliis ubi de sedando schismate, de moribus ac de disciplina controversitur. Quocirca; ubi de causa fidei simpliciter agitur, dum hæresis oborta simpliciter damnanda est, non est absolute necessaria Concilii Generalis celebratio.

Liquet hoc primo tot hæresum trium priorum sæculorum exemplo: Simonis, Menandri, Ebionis, Cerinthi, Nicolai, Valentini, Cerdonis, Marcionis, Manetis, Montani, Origenis, aliorumque hujus farinae hominum, quorum errores absque Conciliorum generalium celebratione damnati sunt.

Pari, ad præsens institutum nostrum, vi ac potestate est Augustini testimonium *lib. 4. ad Bonif. cap. ultimo*, ubi Pelagianis Concilium generale poscentibus, in quibus expenderetur eorum doctrina, id necessarium non fuisse respondit; quod iisdem confirmavit ex eo, quod absque Synodorum celebratione plures antiquiores hæreses extinctæ sint. *Aut vero*, ait SS. Doctor, *congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit: Cum potius rarissima inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis existit. . . . hanc etiam gloriam captare intelligitur, Pelagianorum superbia, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur; & hoc quia satis superque ad id sufficit auctoritas Romani Pontificis, qui de fide potest infallibiliter judicare.*

Nec obest si dicatur, eum non esse infallibilem, nisi accedente consensu Ecclesiæ: primo, quia ad hoc ut iste consensus accedat, necessarium non est, ut Ecclesia in Concilium convocetur. Secundo, quia ad faciendum Judicium R. Pontificis infallibile satis est si pronunciet ex consilio & assensu Romanæ Ecclesiæ, cujus ille specialiter caput est.

UMI

DISPUTATIO IV. PRÆLECTIO VI.

Ubi vero non qualicumque damnanda est hæresis, sed hæresis ad cujus defensionem conspirant Regna florentissima, Nationes integræ, Sedes Episcopales magnæ & multæ; tunc certe necessaria est Concilii Æcumenici celebratio; quia tunc unius R. Pontificis auctoritate frangari & coerceri hæretici nolunt. Exemplum habemus in Arianis, Eutychianis, Nestorianis, Monothelitis, Græcis, Lutheranis & Calvinistis, quos frangere Romani Pontifices non potuerunt absque Plenariorum Conciliorum celebratione. Pater hoc etiam Africanorum rebaptizantium exemplo, qui ab errore divelli nequiverunt unius Stefani I. R. P. auctoritate, donec in Plenario Concilio error damnatus esset.

Nec refert si dicas: nolle quandoque hujusmodi hæreticos, & præcipue Lutheranos & Calvinistas stare judicio Generalis Concilii. Primo, quia obstinata jam voluntas illa est, nullo sane colore sulca. Secundo, quia non ita semper detestantur Calvinistæ, ideoque stare nequeunt, quia Concilium Tridentinum nedum pro Æcumenico non habent, sed iteram politicorum hominum coalitionem fuisse contendunt, ubi Pontifex ipse atque Italici Episcopi omnia subdole artis machinamenta tentarunt, ne salutaria decreta ad Ecclesiæ reformationem maxime necessaria conderentur.

Sunt alii etiam casus, in quibus extra necessitatem hujusmodi hæresis condemnandæ, necessaria est generalium Conciliorum celebratio.

Primus casus est: dum de Pontificatu contendunt plures electi: ac neuter alteri cedit, & ob hunc casum legitimus Concilii Basileensis & Concilii Constantiensis celebrationem.

Secundus casus est: dum Natio integra a schismate revocanda est, & ob id legitimum celebratum Concilium Lugdunense II. & Florentinum.

Tertius casus occurrit: dum Reformatio morum in capite & in membris fieri debet, ad quam faciendam legitimum Tridentinum celebratum Concilium.

Quartus & ultimus casus est, si Pontifex in hæresim ut privatus Doctor incideret, ut pravis moribus suis Ecclesiæ scandalo esset citra foem correctionis, Tunc ad ejusdem depositionem Concilium convocari posset; quo tamen titulo nullum adhuc fuit celebratum Concilium; sed tolerandum ad breve tempus duxit Ecclesia, donec illum de medio tolleret Deus.

Absolute jam de Concilio Theologica Tractatione: Postulat in præsentia suscepti operis ratio, ut de Romanorum Pontificum auctoritate sermone instituiamus. Erit itaque hoc sequentis Disputationis argumentum.

DISPUTATIO QUINTA.

De Romano Pontifice.

PRÆLECTIO I.

De Primatu D. Petri.

Habitu hæcenus Tractationi de Concilio Æcumenico, alteram nunc de Romano Pontifice Tractationem adnectimus: eo maxime titulo, quod Ecclesia Catholica, quam viventem ac spirantem fidei Regulam demonstravimus, quemadmodum Conciliorum Æcumenicorum linguam loquitur, ita R. Pontificum ore de fide statuat, pronunciet, atque decernat. Quia autem ita de fide statuendi, pronunciandi, decernendi potestatem obtinet Summus Pontifex, propterea quod Ecclesiæ Universæ sit caput, supremamque in ea auctoritatem exerceat; ideoque prima officii nostri ratio postulat, ut ejus in Ecclesia primatum, non honoris duntaxat & dignitatis, sed, & jurisdictionis & potestatis pro viribus adstruamus; & contra nostræ hujus ætatis hæreticos tota animi contentione pugnemus. Illud vero cum ex altera questione pendeat, num scilicet D. Petrus Apostolorum princeps sit a Christo Domino institutus: (quem enim in cæteros Apostolos principatum obtinuit Petrus, eundem in cæteros Episcopos obtinet Petri successor, R. Pontifex) idcirco ab ea questione de primatu D. Petri dicendi initium faciemus. Sit itaque prima hæc assertio nostra adversus hujus ætatis hæreticos.

Divus Petrus cæterorum Apostolorum Caput, Rector, ac Princeps a Christo D. datus est.

Nititur Catholica Veritas Oraculo Christi Domini *Matth. 16.* ubi cum Christum Dei filium Petrus confessus esset his verbis, *Tu es Christus, filius Dei vivi;* vices illi rependit Christus e ve-

ligio subjungens: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalent adversus eam. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Quibus verbis gemina D. Petri prerogativa notatur; Prima, quod super ipsum tanquam supra solidissimum petram ædificanda esset Ecclesia. Secunda, quod claves Regni Cælorum esset accepturas. Quibus nil simile cæteris Apostolis dictum est.

Vix credas, quot anfractus & diverticula querant Hæreticos, ut hujus Oraculi vim, & pondus effugiant: sunt enim vero qui dicant, verba hæc, *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,* non ad Petrum ipsum referri, sed ad Christum: quod is illa ipsa Petra sit, supra quam Ecclesia ædificata est, de qua *1. ad Corinth. cap. 10.* dicitur: *Petra autem erat Christus.* Quam interpretationem Augustinum dedisse ajunt *Serm. 13. de verbis Domini; & Test. 124. in Joannem: Ecclesia fundata est super Petram, unde Petrus nomen accepit. . . . Ideo quippe ait Dominus; super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. . . . Petra enim erat Christus: super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Quæ Apostoli verba sunt 1. ad Cor. cap. 3. Alii verba hæc, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam;* non ad Petrum ipsum, sed ad fidem, & confessionem Petri, quam paulo ante prodiderat, referenda putant; quod nempe fundata sit Ecclesia super fidem divinitatis Christi, quam Petrus antea professus erat, *Tu es Christus filius Dei vivi:* Quam interpretationem Petrum esse contendunt: maxime vero D. Hilarii *lib. 6. de Trinit.**